



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Deus solus operatur gratiam per elementum & creaturam, non ipsa  
creatura. tit. 66

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Dei, res extra nos quam credimus, speramus: & media, id est, obedientiam legis & operum seruamus, quatenus nobis per hæc distribuitur: Sunt igitur mera mendacia hæreticorum.

Postremò, quia scimus secundum Apostolũ Rom. 14. quòd omne quod non ex fide, peccatum est. Idem fidem primo loco & ante omnia opera locamus, ut sic iusti per fidem, faciamus iusta & bona opera, id est præcepta Dei. Iudei incipiunt ab operibus iusti esse, qui carent fide Christi, Rom. 10. non autem sic Christiani. Mentuntur quoque sectæ, quæ dicunt Ecclesiam ignorare iustitiam fidei, & solùm scire iustitiam legis, & non etiam fidei. Paulus ad Philipp. 3. veritas que docet iustitiam.

*DEVS SOLVS OPERATUR  
gratiam per elementum & creaturam,  
non ipsa creatura.*

## TITVLVS LXVI.



Rimò, hoc fide tenendũ est firmis-  
mè, qd' solus Deus est, qui opera-  
tur gratiã, per elementa & creaturam  
sacramentorum, & non ipsum ele-  
mentũ, sicut 1. Cor. 12. dicit Aposta-  
lus, Deus est qui operatur omnia in  
omnibus, id est, per aquam baptismi ipse Deus opera-  
tur remissionẽ peccatorum, non ipsa aqua & elemen-  
tum, sic per vnctionem in consecratione dat & effici-  
donum constantiæ &c. sic ipse cõsecrat, baptizat, ab-  
soluit, docet, benedicit, nõ sacerdos vel creatura. Hæc  
media sunt, per quæ Deus omnia operatur.

Secundò, ideo consecrantur elementa sacramen-  
torum verbo Dei, aqua baptismi, chrisma, oleum, sa-  
cerdos, matrimonium, herbæ, lumina, &c. et. ut scia-  
mus, quia non ipsa materia elemēti & dignitas effi-  
cit et

cit ex se & sua virtute gratiam, vel causa est, sed Deus per verbum suum operatur hoc, quod per elementū designatur. Elementa enim quandam similitudinem habent & continent eius rei, cuius signa sunt, & gratiæ quam Deus operatur. Sic aqua similitudinem habet, quia lauat sordes: ita per aquam baptismi fit purificatio à peccatis. Sic manuum impositio significat adiutorium Dei in pugna fidei, & collationem potestatis sacerdotij quasi donū dat & absolutionē à peccatis. Manus enim pugnat, confert dona, & liberat: cibus cōseruat vitam, eucharistia fidem passionis, dilectio coniugatorum fauorem Dei, oleum, quia lenit, significat misericordiam. Sed hæc omnia Deus operatur in omnibus. Non ergò fides solū respicit in hoc, quod oculis & sensu percipitur, aquam, oleū, species &c. Sed in opus Dei, quod per verbum suum, quo creatura est consecrata, operatur.

Tertiò, nec opera decalogi, vel ieiunium, oratio, elemosyna, cultus, cęremoniæ, cibus, vestitus, locus ex se, sua dignitate merentur gratiam, aut causa sunt gratiæ, sed Deus propter Christum, qui solus causa est omnis gratiæ, operatur effectum & opus gratiæ, per huiusmodi opera & cęremonias, & non ipsū opus operatum. Voluntas ergo Dei causa est, qđ Deus sic per mediā, & non absque medijs vel sacramentis, vult operari & distribuere dona gratiæ. Romanor. 13. quæ à Deo sunt, ordinata sunt &c.

Sic per auditum verbi dat fidem. Romanor. 10. Fides ex auditu verbi Dei. Secundò, remissionem peccatorum promittit & donat per baptismum & pœnitentiam in lapsis, Actor. 2. Mar. primo. Tertiò, promittit confirmationem fidei, Philipp. 1. Qui incepit in vobis opus bonum, & Psalm. 67. petit Propheta: Confirma hoc Deus &c. Quarto, doctrinam Euangelij non cessare vsq; ad consummationē sęculi, Mat. 24. cum prædicatum fuerit Euangelium, licet multæ hæreses

hæreses fient &c. Quintò, mensionem nobiscum pro-  
mittit, Matt. vltim. ideò nos sibi vnit & incorporat,  
Ioan. 6. Qui manducat carnem meam, &c. Roman.  
8. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Sextò, bene-  
dictionem coniugum, Genes. 1. ideò & benedicuntur  
à sacerdote. Septimò, promisit Deus misericordiam,  
quam per vnctionem confert. Summa, varia dona  
gratiarum promissa à Deo propter Christum: fides  
autem per media illa apprehēdit & retinet, sed Deus  
solus est qui iustificat, Roma. 8. Falsò igitur nos gra-  
uant hæretici, quòd salutem tribuimus creaturis, &  
ad ea ligamus, id est, in oleum, aquam, sal, &c. Fides  
quiescit in Dei verbo, per quod Deus operatur gra-  
tiam in illis elementis sacramentorum.

QUID SIT BAPTISMVS.

TITVLVS LXVII.

**T**RI A notantur. Primò, quid sit Bap-  
tismus: Secundò, cur institutus: Tertio,  
qui sint eius fructus & vtilitates.

Primò, baptismus est lauacrum & opus  
regenerationis, ad Tit. 3. in quo credens per meritum  
sanguinis Christi lauatur ab omni peccato originali  
& actuali. Prima natiuitas hominis fit in peccato.  
Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,  
id est, de immundo semine, & talem peperit me ma-  
ter mea. Altera verò natiuitas tollit peccata, & lauat  
per fidē in Christū, sine qua nemo potest saluari. Ioh.  
3. oportet nasci denuò. Vt enim alienum peccatū sa-  
ciet nos nasci peccatores, Rō. 5. sic aliena iustitia, san-  
guis Christi hic in secunda natiuitate, i. in baptismo  
distribuitur. Qui ergò crediderit, & baptizatus fue-  
rit, iuxta præceptum Christi, Marc. vltim. saluus erit.  
ideò baptismus est regeneratio. Secundò institutus  
est, vt homo se dedat & fidem promittat nouo do-  
mino.